

IN DEUTERONOMIUM

Dissertatio.

Judeis inscribitur *Elle Haddebarim*, nullo alio mysterio quam quod in contextu hebraico operis prima illa verba occurrant. Inscriptur etiam à Rabbiniis quandoque *Misa*, quod scilicet repetitionem continet et innovationem legis. Tandem *Liber Reprehensionum* (*Sepher thochhot*) ab aliis appellatus est, cum reprehensiones à Moysè factas in Israelitis referat. Apud Græcos et Latinos *Deuteronomium* dicitur, ex eo scilicet, quod legis antea late summam complectens, veluti secundam legem exhibeat. Porro leges istæ pluribus accessionibus et interpretationibus in hoc opere referuntur, in gratiam eorum potissimum, qui, cum primùm leges rogatæ fuerunt, sive nondum nati, sive nondum eâ fuerant ætate, ut rationis compotes esse poterint. Res à Deo et à se gestas in populum Moyses enarrat; quibus accedit historia quinque vel sex hebdomadum, nempe ab in-eunte undecimo mense anni quadragesimi ex-gressu ab Ægypto, usque ad diem septimam duodecimi mensis ejusdem anni.

An Moysi opus tribuendum esset, dubitârunt nonnulli (vide Jansen. Præf. et Comment. nost. in c. 5), quod scilicet Moysis obitum describitur in eo legerint (Deut. 54, 5); tum et scriptum videatur ab auctore, dum in occi-dente Jordanis versaretur; ita enim res gestas in castris Israelitarum describit, quasi in aversâ fluvii ripâ contigerint (vide Josu. 1, 1); *Trans Jordanem*. Hinc aliqui Josue sive Esdram ejus libri auctorem voluerunt.

Sed lucubrati adeo occurrunt in opere mosaice lucubrationis characteres, ut æquum lectorem vix de altero cogitare permittant. Ipse de se Moyses testatur scriptis mandasse canticum (Deut. 31, 22), quod libri partem constituit, additque insuper scripto itidem redegisse omnes à se propositas leges (ibid. 9, 24), quarum legum contextus adeo cum reliquis totius libri partibus conjungitur, ut divelli possit, distinguî non possit. Quod autem *trans Jordanem* res in eo descriptæ contigisse scribantur, optimi quique interpretes satis conveniunt, hebraicam vocem, *Heber*, in originali occurrentem, æquè reddi posse *trans* et *cis*; quare sensui determinando sermonis contextus spectandus est. Quod tandem subditur de obitu

Moysis, hæc ab alio auctore suppleta ultrâ credimus.

Hæc autem operis summa. Moyses in solemnî populi concione, die primâ undecimi mensis anni, ab incepto itinere 40, totam historiam, ab egressu ex Ægypto, usque ad stativa in agro moabitico, post relatâs de rege Basan, Amor-ræis et Madianitis victorias, percurrit. Huic orationi priora libri capita usque ab capit. 4, 41, impenduntur; exinde totum quod superest ejusdem capitâs, historicum est. Narrat ibi Moyses domitæ regionis à se factam divisionem, tum et tres refugii urbes constituit; quare sup-plementum videtur ex libro Numerorum dedu-ctum, velut ad mosaicæ orationis complemen-tum. Hoc autem sive Moyses ipse per se, sive alius ejus opus recensens, adiecit; nos tamen alteri deputandum arguimus, quod non ab au-ctore insertum videatur, qui explorata scribat, sive res paucis antea mensibus gestas, quæ ipse antea fusiùs in eodem opere exposuerit. Eadem observes in capitâs 10 versibus 4, 5, 6, 7, 8, 9, quos aliâ manu abjectos suspicamus.

Ad capit. 5, Moyses, coacto iterùm populo, res ad Sinâi gestas fusiùs pro concione expo-nit, latisque eâ occasione legibus plura simul adiecit. Sequitur in capit. 27 oratio seniorum populi, qui unâ cum Moysè Hebræos hortan-tur, ut divinis jussionibus legibusque per Moy-sen à Deo latis, morigeros se præbentes, vo-luntatis in illum suæ perpetuam monumentum altare in Chanaanitide trans Jordanem eri-gant, in quo victimis oblati fœdus cum Deo innovent (cap. 27, 15, 26), fœderisque inno-vati leges in ejusdem altaris lapidibus insen-tiant. Monet insuper, ut bipartito exercitû sex tribus utrinque in montibus Hahal et Garizim stantes, maledictiones illæ, hæc benedictiones sacerdotum ore pronuntient, respondente ad singulas populo universo.

His ita constitutis, Moyses ad obedientiam Deo præstandam iterùm atque iterùm populum hortatur (cap. 28), præmiorum spe venales animos alliciens, poenarumque timore contu-men-tans, quæ omnia stylo præter mo-erum pathetico et gravi prosequitur.

Fine orationi imposito, Moyses cætu populi coacto (cap. 29), vel saltem nondum priori

cætu soluto, fœdus quatuor ante annis in Flo-reb inter Deum et Israelæm sancitum, iterùm innovavit. Post hæc ad priorem orationem re-gressus (cap. 30), eadem inculcat, nec minis parcens, nec promissiones præmiorum negli-gens; iisque omnibus beneficiorum à Deo ac-ceptorum, grati animi excitatione adjunct. Demùm orationem claudens, exposuit se 120 annorum ætate grandævum, ferendo reipubli-cæ et exercitûs ponderi jam imparem esse; addens insuper divina providentiæ consilio in-gressu in Chanaanitidem prohiberi se; quare illud reputasse, ut à principatu sese abdicans, Josue, sibi à Deo datum successorem, statueret; quod acutim executioni mandatum est. Post hæc dimisso populo (cap. 31, 8, 9... 14, etc.), Moyses omnia quæ pro concione populo exposuerat, scripto redegit, quem deinde codi-cem in manu Levitarum et seniorum populo de-positum, jussit singulis septenniis in festo Ta-bernaculorum in solemnî populi concione legi.

Paucis ante obitum diebus, jussus à Domino unâ cum Josue ad tabernaculum venit (capit. 31, 14, etc.), eorum quæ Deus ipsi Josue edicere, testis futurus. Cum igitur in conspec-tum venissent, Deus discussurum populum à fide prædixit; jussit deinde canticum scribere, quo altè in mente Israelitarum insidente, con-stans beneficiorum Dei, atque vicissim debiti in illum Hebræorum officii monumentum re-staret. His executioni mandatis, tum et cantico eorum populo à Moysè recitato (cap. 32), eâ-dem die Moyses ascendere montem Nebo, ubi diem clauderet supremum, à Domino jubetur. Ascensurus jam supremum, benedictionem pius pater moestissimis filiis imperitus est, benedictionem, inquam, singulis tribus peculia-rem, in quibus de futuris eventibus singularum plurima (capit. 33). Pio illo officio persoluto, montis cacumen ascendit, ubi vitâ defunctus est (capit. 34). Hæc Deuteronomii summa.

Additiones in hoc libro, quibus nonnulla locorum sensa implexa efficiuntur frequen-tiores, quam in cæteris libris Moysis, exem-plarium exscriptioibus accepto referendas credi-mus. Non enim principes tantummodò (Deut. 17, 18), sed privatorum etiam singuli, illi Dei jussu, illi verò sponte sibi exemplar describe-bant. Inter scribendum autem amanuenses no-tas voces pro obsoletis substituebant interdum, uti et obscurum quandoque textum nacti, op-portunas voces et sententiâ perspicuitatis gra-tiâ addiderunt. Porro earum additionum aliæ Davidis seu proximam illi ætatem referre cre-

duntur, quo potissimum tempore, ut ferè fit in regno tranquillo, florenti et pacato, studium legis et Scripturæ viguisse inter Hebræos non immeritò conjicitur.

Legis repetitio cepta est à Moysè die primâ undecimi mensis, anni ab initio itinere per des-ertum quadragesimi. Obiit autem legislator primâ die mensis duodecimi ejusdem anni, æta-tem agens 120 annorum, anno mundi 2555.

Opportunum factu visum est exhibuisse hæc sub unum veluti conspectum totam legum he-bræicarum naturali ordine deductam summam. Cum enim frequentius interrupte, nec rariùs repetite in libris sacris describantur, lectorem nimis distrahit, quominus justam de illis ideam concipere, atque in unum veluti corpus redigere cogitando possit.

Deus cœli, terræque Creator (Gen. 1, 1), ex universo hominum genere Abrahamo ejus-que familiâ selectis in summ populum (Levit. 19, 41, et Deut. 26, 16, 17), fœdus cum illis in monte Sinâi inivit, legemque tradidit, in quâ se Deum unicum (Exod. 20, 7), solum proinde amandum atque colendum declarat (Deut. 6, 5, et 10, 42, 20). Neque amorem utcumque, sed cui nihil sit reliquum, exigit; gloriæ verò suæ atque justitiæ adeo studiosus assertor est, ut quantum in suos miseriores, atque præstandis promissis fidelis, tantumdem in animadversionibus severus, parentes gene-rationes usque ad tertiam et quartam generatio-nem puniat, et vicissim pro patris fidelitate beneficia in mille generationes rependat (Exod. 10, 5, 6, et 54, 6, 7; Deut. 5, 9, 10, et 6, 15). Juramenta per rei alterius cuiuscumque nomî-ni, nisi tantum divinum, emitti vetat (Deut. 6, 15, et 10, 20). Quare neque cultu alio, neque ipso nomine (Exod. 23, 13), deos alienos in-vocare, nedum imagines ipsorum, sive alio-rum quorumcumque, etiam brutorum et side-rum efformare fas est (Exod. 20, 5, 4, et 25, 15). Blasphemia in Deum mortis obnoxia adju-dicatur (Levit. 24, 11); neque minor est sen-tentia in juramenta inania, mendacia calum-niosa, utpote quibus crimen in veritate, et sanctitatem nominis Dei inferatur (Exod. 20, 7; Deut. 5, 11). Vota vel nulla fieri jubet, vel si fiant, statim implenda, dilationem non inul-tant se passurum professus (Deut. 23, 21; Levit. 27; Num. 30). Si quis temerè de summâ Dei auctoritate sive periculum facere, sive illam in dubium revocare ausus fuerit (Deut. 6, 16); necnon qui magos, artilos, pseudo-prophetas de rerum futurarum eventibus con-

sulant, sive se superstitionibus immisceant, illos reos criminis pronuntiat (Levit. 19, 5, et 20, 6, 27, et 22, 18; Deut. 18, 10). Jabet igitur purum, sincerum cultum exhiberi, nullam somnii fidem (Deut. 18, 13; Levit. 19, 26); nullum cum ritibus eorum, qui comam tondent, commercium; procul esse jubet incisiones et stigmata (Levit. 19, 27, etc.); magi, pythones et pseudoprophetae à populo exterminentur (Lev. 20, 27; Deut. 18, 20, etc.); nihilque tandem feratur, quod ab idololatriam, sive pravo exemplo, sive sollicitatione inducat; ipsasque urbes ejus criminis reas vult devoveri (Exod. 22, 20, et 23, 24, 25, et 24, 16; Deut. 4, 16, 17, et 15, 6, 10, et 17, 5). Cavendum insuper edicitur à luctibus, juxta morem Ethioicorum (Deut. 14, 1, 2); ab oleo unctionis et à thymiamate, ejus est usus in templo mortis indicia penam, abstinendum (Exod. 30, 35). Manus tandem insontes atque impollutas ad Deum terent Israelite, uti filios, famulos, et Dei populum decet (Exod. 12, 31); in legis meditatione die nocturne versentur, eamque sive brachio, armorum more, sive supra frontem alligent; in superliminaribus aedium inscribant (Deut. 6, 7, etc., et 11, 20).

In deserto Deus tabernaculum sibi expandi, veluti regi in castris cum populo suo versanti, voluit; cujus papilionis officio omnes donaria conferre (Exod. 23, 3, et 25, 5), solos verò sacerdotes ejus obsequiis atque servitiis destinari; quibus unis ejus aditum permitti (Num. 18, 4), nec nisi eo tantum in loco sacrificia offerri jussit (Deut. 12, 14). Quidquid autem hostiarum immolaretur, sive extra, sive intra atrium tabernaculi, statim ante fores ejusdem tabernaculi sisti voluit, ejusdem sanctionis transgressores, tanquam homicidas damnari, (Levit. 17, 5, 4). Cum verò Israelitae ad terram sibi promissam pervenerint, ait Deus, ter singulis annis urbem à Deo in sedem sui templi selectam petant, debitum Domino obsequium (Exod. 23, 14, et 24, 20; Deut. 15 et 12, 11, 12) muserum oblatione (nefas est enim Deo vacuum se sistere) exhibitari. Deum autem cultu longè à Chanaanis diverso colant; neque enim sive statuas erigere, sive aras passim excitare, sive lucum, ne circa altare quidem templi, consecrare Israelitis fas est (Deut. 16, 21, 22). In signum autem obteante à Deo regionis, quam colunt, primitias et decimas pro sacris ministris (Exod. 22, 29, 30; Deut. 31, 1, 2) ad templum deferant, his additis ad sacerdotem verbis (Deut. 26, 4, 5): *Profiteor hostiè coram Domino Deo tuo,*

quòd ingressus sum terram, pro quà juravi patribus nostris, ut daret eam nobis. Accepisquè à sacerdote oblationibus statim Israelita prosequatur: Syrus persequebatur patrem meum, qui descendit in Ægyptum, et ibi peregrinatus est in paucissimo numero, crevitque in gentem magnam ac robustam et infinitam multitudinis. Affliceruntque nos Ægyptii, et persecuti sunt, imponentes onera gravissima, et clamavimus ad Deum patrum nostrorum, qui exaudivit nos, et respexit humilitatem nostram et laborem atque angustiam; et eduxit nos de Ægypto in manu forti et brachio extenso, in ingenti favore, in signis atque portentis, et introduxit ad locum istum, et tradidit nobis terram lacte et melle manantem. Et idcirco nunc offero primitias frugum terræ quam Dominus dedit mihi.

Præter has oblationes, quotannis semel religiosa in templo convivium instruere jubebantur Israelitæ, à quibus Levita, pauper, vidua, et orphanus non absentent (Deut. 14, 23, etc.). Sux preces in mensis erant, in hæc verba (Deut. 26, 13, etc.): *Abstuli quod sanctificatum est de domo mea, et dedi illud Levitæ et advenæ et pupillo ac viduæ, sicut jussisti mihi, nec præterea mandata tua, nec sum oblitus imperii tui. Non comedi ex eis in luctu meo, nec speravi ea in quiete immunditiam, nec expendi ex his quidquam in re jurebræ. Obedivi voci Domini Dei mei. Respice de sanctuario tuo, de excelso colorum habitaculo, et benedic populo tuo Israel, et terræ, quam dedisti nobis, sicut jurasti patribus nostris, terræ lacte et melle mananti. Hæc tamen convivium semel singulis triennis in suâ cuique regione prestatre fas erat.*

Sacerdotes Domini amplissimis privilegiis atque muneribus decorabantur: illud imprimis insigne, quòd soli ministrare altari. Adipem et sanguinem, et quidquid insuper de victimâ adolendum esset, offerrent; unis insuper aditus in Sanctum ad imponendum igni thymiamata, accendendas lampades, ad innovandos singulis sabbatis panes propositionis, pateret. Sux illis erant partes è victimis in sacrificiis pacificis, et pro peccato, in oblationibus panis; necnon in libamentis, quorum parte in ignem conjectâ, reliqua sacerdoti cedebat (Levit. 2, 3). In victimis pacificis armum dexterum, et pectusculum (Levit. 7, 31, etc.) sacerdos sibi reservabat, adipem tradebat igni, sanguine ad basim altaris effuso: quod reliquum erat offerenti (ibid. 30, 31) permittebat. In sacrificiis pro peccato, renes, cauda, et adeps illa comprehendens, relictum jecaris, Domino; reliqua sacerdoti erant (ibid. 1, 2, 3). De holocaustis, igni omnia; vel:

ius tantummodò sacerdos habebat. Ex hostiis pacificis sive in templo, sive in privatis ædibus cum totâ familiâ degustare fas erat: post alteram verò diem à sacrificio, si ex iis reliquum fuisset, igne statim absumendum (Levit. 7, 18). De victimis pro peccato extra templum sive degustare, sive effere quid sacerdoti nefas (Levit. 6, 26, et 7, 6; Num. 18, 9); aliis verò à sacerdotibus ne in templo quidem aliquid ex iis delibare permittum: quoad decimas primitias, primogenita, vota et oblationes, familia sacerdotis non excipiebatur (Levit. 10, 14; Num. 18, 13, etc.). Sacerdos, qui ex sanctificatis aliquid ipse non purus in cibum caperet, ultimo supplicio damnabatur (Lev. 22, 2, etc.). Ex dapibus sanctificatis operari mercede conducti, et advenæ non participabant, quantum mancipia sacerdotis non excluderentur; filie item à sacerdotali familiâ viduæ, sive repudiatæ, amissum antea in illas jus recuperabant. Porrò dapes sanctificate censebantur, sive portiones ex victimis pacificis templo factis in usum eorumdem segregabantur; quoad decimas enim et primitias, quæ veluti ministrorum proveniunt habebantur, nihil exceptum; qui enim levitæ et sacerdotes incepti ali potuissent!

Primo genita tam hominum quam pecudum atque jumentorum universa Domino segreganda erant (Exod. 13, 1, etc., et 34, 19); nisi quòd aliqua ex illis redimendi facultas esset. Hominum enim quinque siclis redimchantur (Num. 18, 16); nec alia erat de primis animalium immundorum foetibus ratio, uti asini et cameli. Si quidem pro asino ovis, sive quinque sicli offerri poterant (vers. 17, 18); alioquin statim mactabantur. Animalia pura nullo pretio redimi, sed omnino cædi oportebat: quorum tantum adipe igni tradito, et sanguine ad basim altaris effuso, reliquum sacerdotibus cedebat (Levit. 10, 23, etc.). Quos recens planta fructus tribus prioribus annis emisisset, impuros haberi oportebat; quarti anni, omnes Deo consecrandi; à quinto verò anno eorum usus permittebatur (vers. 24, 25, 26).

Pro iis, quos sibi Deus ex universis primo genitis Israelis reservaverat, tribum Levi substituit (Num. 3, 41), è quibus familie Aaronis sacerdotio demandato, reliqui inferioribus templi et sacerdotum ministeriis deputati sunt. Sacerdotum igitur ministeria circa altare Sanctum et Sanctuarium versabantur; ignemque, ne extingueretur, in eodem altari curabant; Levitarum, circa templi fores, musicam, ac vi-

timas, quas exoriabant, necnon circa ligna ad altare offerenda.

In Sanctuarium aditus nulli præter summum sacerdotem, ipsique die tantum expiationis solemnibus, permittis (Levit. 16). Ea dignitas tum criminibus puniendis, cum religionis rebus curandis summam in eam auctoritatem conferebat (Deut. 17, 12, 15). Ad illam verò assumi oportebat virum, cujus pater virginem feminarum, et ejusdem tribus atque generis duxisset (Levit. 21, 13). Ipsum verò ab omni corporis vitio purum esse oportebat (Levit. 21, 17, 18): nec sanè aliter decebat illum, per quem Deus oracula veritatis fundebat; siquidem summus sacerdos insignibus suæ dignitatis indutus, de Urim et Tumim quæ in rationali gestabat, Dei nomine consulentibus respondebat (1 Reg. 23, 9, et 30, 7). Neque funera lugere, excepto tamen patris, neque vel locum ingredi ubi cadaver jaceret, ne quid imparitatis contraheret, permittebatur (Levit. 21, 10, etc.). Hæc tamen lex cum pontifice arcissima, aliis inferioribus mitior erat; siquidem vulgò sacerdotes parentum, filiorum, et fratrum fuerunt (Levit. 21, 2, etc.), non tamen extraneorum, neque etiam principis, assistebant: Levitas verò iis omnibus, quibus cæteros Israelitis, adesse fas erat. Quo temporis spatio sacerdotes templi servitiis occupabantur, ab uxoribus, et vino temperabant, studiosè ab omnibus sese observantes, ne quid unquam impuritatis contraheret (Levit. 10, 9). Eorum vestis religiosa quæ in templo tantum sacerdotes utebantur, tunica erat linea talaris (Exod. 28, 40, 41), femoralibus, quibus et capitis operimento itidem lineis, adjectis; quæ sanè vestis Levitis etiam communis fuit. Comam minimè nutriebant, uti neque barbani in labio superiori; pedibus erant nudis in templo, ubi et cibum et somnum capiebant.

Pontifex splendidiori sanè veste utebatur. Femoralibus (Exod. 28) lineis, tenuitate, et opere spectandis; tunice alia superinducta, cærulei coloris, simplici opere, ac fortassè non manicata, cujus fimbriam tintinnabula aurea, et malograna variato opere contexta, alterè disposita ornabant. Hanc tunicam cingulus stringebat operis phrygiæ, et variati, cui nomen in S. Scripturâ *Ephod*. Porrò Ephod duabus fasciis splendidissimis constabat, quæ utrinque per humeros in anteriora descendentes, corpori deinde circumdactæ, ante stomachum vinciebantur, simulque fluentem tunicam continebant. Quæ verò fasciæ illæ ex humeris in

anteriora descendebant, binæ gemmæ insertæ erant, sex utrinque nominibus tribuum Israelis insculptæ: uti et quo loco ante pectus decussabantur. *Rationale* eminebat, nempe pannus ille quadratus 12 digitorum latitudine, duodecim gemmas singulis nominibus tribuum Israelis insculptas præ se ferens.

Sacerdotibus cautum erat, ne cum feminâ moribus inhonestis, sive prostituta, sive tandem ab altero repudiata, connubia inirent. (Levit. 21, 7, etc.); si quæ verò filia sacerdotis in crimine deprehenderetur, utpote quæ patris famam violasset, continuo igne damnabatur. In thure offerendo, alienum ignem adhibere sacerdotibus nefas, quod Nadab et Abiu vel morte expiârunt (Levit. 10, 1, 2). In sacrificiis sale quidem semper (Levit. 2, 15; Num. 15), oleo et fermento nunquam (Levit. 2, 11) utebantur. Suis impensis et operâ panes propositionis conficiebant, quos singulis sabbatis recentes mense auree in Sancto apponebant (Levit. 24, 5, etc.), veteribus remotis, de quibus comedere ipsis tantum fas erat (Math. 12, 4). Insuper holocaustum perpetuum vespertinum et matutinum, cum libationibus sacerdotis sufficiebant (Exod. 29, 58; Num. 28, 5, 4). Vita corporis, quæ à sacerdote, et vita hostiarum, quæ à sacrificiis erant, in Commentariis recensentur (Levit. 21, 17, 18, et 22, 18, etc.) (1).

Levitarum et sacerdotum proventus non agri quidem, et arva, quorum illis nulla assignata sunt, sed decimæ, primitiæ, oblationes, et victimarum participatio satis uberes exhibebant (Num. 18, 20, 21). Ne verò sedibus carerent, 48 urbes, atque suburbana in circuitu, spatio 4,000 cubitorum, pro domicilio assignata sunt (Num. 35, 2). Domus illorum rusticæ eodem jure, ac ceterorum Israelitarum agri, vendi quidem, sed restituito pretio à domino nunquam non redimi poterant; imò ne redemptæ quidem, anno jubilei ad pristinum dominum redibant (Levit. 25, 52). Ex eisdem urbibus, sex in asylum (Num. 35, 6; Josue 20, 7, 8) iis qui imprudenter hominem occidissent, destinatæ erant. E toto numero 15 ad sacerdotes spectabant; ceteræ ad Levitas (Josue 21, 19, etc.). Semper ac farina aquâ subigebatur ad panem conficiendum; è totâ massâ portio aliqua pro Levitis jussu Dei segreganda erat: quam portionem majorem quadragesimâ, minorem sexagesimâ parte rabbinii prescripserunt. Cùm animal

(1) Vide supra, tom. VI Script. sacra, Comment. in Levit.

occidebatur, uterque humerus, ventriculus et mandibulæ dono ad Levitas deferri solebant (Deut. 18, 3, 4), neque suâ portione, cùm greges tondebantur, sive cùm præda ex hostibus referretur, etiamsi bello non adfuisset, frangebantur (Num. 29, 30). Adesse tamen bello semper sacerdotes conseruant, quorum munus erat tubis clangere (Num. 10, 8), solemnæque illas formulas coram exercitu recitare (Deut. 20, 3, 4): *Audi, Israel: Vos hodiè contra inimicos vestros pugnam committitis; non pertimescat cor vestrum, nolite metueri, nolite cedere, nec formidetis eos, quia Dominus Deus vester in medio vestri est, et pro vobis contra adversarios dimicabit, ut eruat vos de periculo.* Si quando arva foderis in castra reducenda erat, illius deferendæ atque custodiendæ negotium sacerdotibus commitebatur (1 Reg. 4, 4, et 14, 15, et 2 Reg. 15, 24, 25). Nec rarò etiam summus sacerdos cum saceris ornamentis, Dominum de agendis consulturus, aderat.

Convivia nulla fermè, sive in templo, sive in urbilibus instituta, ad quæ Levitæ non accerentur; quod quidem Hebrais Deus viciis in sacrâ Scripturâ commendat. *Cave, ait, ne derelinquas Levitam, qui in urbilibus vestris commoratur, neque enim habet aliam partem, et possessionem inter vos* (Deut. 12, 18, 19, et alibi passim). Decimæ illis non ex fructibus tantum, sed etiam ex pecoribus, quodcumque numeranti decimum fortè occurrisset, solvebantur (Lev. 28, 50, 51, 52); liberum tamen erat suam decimam oblato pretio, et quintâ insuper ejus parte, redimere.

Ex collectis apud Levitas primitiis et decimis, pro sacerdotibus decimæ segregabantur (Num. 18, 26). Sacerdotes et Levitæ certâ ætate, nempe annorum 25 sive 50, ministrarum inibat, atque annum agentes 50, illud dimittebant (Num. 8, 24, et 4, 5). Sub Davide 20 annis nati admitti cœperunt (Par. 23, 24, et 2 Par. 31, 17, et 1 Esdr. 5, 8). In ministrando verò nutu sibi invicem sacerdotes sacerdotibus, et Levitæ Levitis succedebant. Si Levitæ, relicta priori sede, ad templum venissent, ut ejus servitiis se toto tempore impenderet, illum recipi, et ex proventibus ejusdem templi alii oportebat (Deut. 18, 6).

Levitarum et sacerdotum munus secundum à sacrificiis, erat populi institutio: quippe in coetu solemnium universæ gentis, die Expiationis, lectionem universæ legis publicè obire tenebantur (Deut. 31, 10, 11). Cùm a novus rex inaugurabatur, ejusdem legis volumen ab illis recitabatur, ac deinde in suum usum transcriben-

dum curabat (Deut. 17, 18). Si quid in iudiciis arduum implexumque occurrisset, res ad sacerdotis deferebatur: eaque occasione summi sacerdotis sententiæ non acquiescere capitale erat (Deut. 17, 8, etc.). De leprâ iudicium (Levit. 13, 14); de expiatione homicidii, cuius auctor lateret (Num. 21, 5); de divortio, de aquis zelotypiæ (Num. 5, 14, 15); de votis Nazæorum (Num. 6, 20, 21) ad illos spectabat. Tandem solemnium populi benedictio, atque divini nominis super illum invocatio ex ipsis obtinebatur (Num. 6, 25, etc.).

Sacrificia apud Hebræos non unius erant rationis. In holocausto omnium perfectissimo tota victima, detractâ pelle atque extis, adolebatur. In sacrificiis pacificis pro obtinendis referendisve gratiis, seu tantum pro asserendâ Dei super omnium potestate institutis, sanguis tantum et adeps Deo armi et pectusculum sacerdoti, reliquum offerenti sacrificium cedebat. In sacrificiis pro peccato, nihil offerenti, sed adipe exta continentæ, reticulo jecoris, et renibus igni traditis, reliquum sacerdoti remanebat. Victimæ ut plurimum tauri erant, vacca, vituli, arietes, oves, verveces, hirci, capræ et hœdi; aves non nisi in expiatione hominis leprâ mundati (Levit. 14, 4) ejusque, qui juramentum imprudens transgressus fuisset (Levit. 5, 6, 7) non adhibebantur: eaque occasione ex duabus avibus oblati, altera immolari, altera libera in auras dimitti solebat.

Verùm peculiares de singulis sacrificiis ceremonias recensere operosum esset nimis; quare prima Levitici capita consulatur.

Festa Israelitarum potissima, quibus ab anno 12 ætatis viri omnes adesse tenebantur, hæc sunt: Pascha, Pentecoste, et festum Tabernaculorum. Nomen *Paschatis*, quod transitus redditur, ejus festi institutionem designat: angeli enim exterminatoris memoria recollitur, qui per Ægyptum transiens, relicto Hebræis, omnes Ægyptiorum primogenitos occidit, extra nocte exitis Hebræorum ab Ægypto (Exod. 12, 14, et 23, 15; Num. 28, 16; Deut. 16). In eâ solemnitate manipulus hordei solemnium ritu in templo offerebatur, veluti primitiæ hordeaceæ messis, statim à festo colligendæ (Lev. 23, 10). Totâ eâ hebdomadâ panis non nisi azymis adhibebatur (Exod. 12, 19, 20), ipsoque inemptis festi vespere, in singulis familiaribus, sive 10 aut 15 convivis coactis, agno hœdove anniculo asso (ibid. 8, etc.) cum herbis amaris epulum instituebatur. Illud quidem

non tam convivium, quam specialis ritus sacrificium erat, ad agendus Deo gratias, et ad memoriam liberationis ab Ægypto excludendam, quamquam sanguis tantum ad basin altaris effundendus offerebatur. Cautum erat, ne hujus agui ossa ad extrahendam medullam comminuerentur. Alia erant hujus festi sacrificia, quæ hoc loco recensere non vacat (vide Num. 28, 19, etc.). Porrò, si quis Pascha cum suis ceremoniis celebrare neglexisset, è populo exterminandus, denuntiator (Num. 9, 13; Exod. 12, 19); pro iis tamen, qui sive impuritatem aliquam legalem contraxissent, sive in itinere essent, à die 14 primi mensis, ad 14 secundi mensis, differri poterat (Num. 9, 6); nec tamen quid de præscriptis ceremoniis quoad azyma, eorum gratiâ remittebatur.

Diebus 50 à Paschate, festum Pentecostes recurrebat (Exod. 23, 16, et 24, 22), oblationem duorum panum ex novo frumento, in signum messis statim colligendæ (Lev. 23, 17), solemne. In eo memoria initi à Deo cum Israelitis foderis, in lege in Sinai traditâ, recolebatur. Sacrificia à paschalibus Deo oblati non discrepabant (vide Num. 28, 26, 27, collatum cum 28, 19, 20).

Festum Tabernaculorum, in memoriam itineris 40 annorum per desertum sub pellicibus (Lev. 23, 40, 43), tertium succedebat; quo, labente anno civili celebrato, simul et gratia pro obtentis à Deo toto anno beneficiis, collectivæ messibus et urvis, referebantur (Exod. 23, 16). Totâ eâ hebdomadâ populus sub tentoriis ex arborum ramis contextis degelat. Stata erant hujus solemnitatis sacrificia (Lev. 23, 27; Num. 29, 12, 15, etc.).

Decima dies septimi mensis anni sancti, et prima anni civilis, expiationis universæ gentis destinata, et jejuniis sacra sub penâ mortis indicto, et penitentia operibus (Num. 29, 7) addicta, et tandem peculiaribus sacrificiis, ac potissimum duorum hircorum (Lev. 16, 6, 7); quorum alter liber dimittebatur. *Azazel* dictus, alter immolatus extra castra cremabatur. Eadem die summus sacerdos sanguinem vituli, atque hirci immolati in Sancta ium inferbat, alterum ad lustrandum Sanctuarium, alterum ad populi expiationem (Num. 29, 16). Eadem die immolari consuevisse credimus vaccam rufam, cujus cineres pollutionem in numeribus contractam expiabant.

Mensium calenda festæ ducebantur, quamvis nulla esset his diebus indicta ab operibus requies. Statis sacrificiis (Num. 28, 11), con-

crepantibus in exordio buccinis, colebantur. Prima dies primi mensis anni civilis, et septimi anni sacri, quod anni introitus, præter alias ceremonias, tubis etiam denuntiaretur, solemnitas Tubarum dicta est (Num. 29, 1, etc.).

Festum sabbati, ab ipso Deo post peractum opus creationis (Genes. 2, 2) dedicatum, omnium S. Scriptura vetustissimum est; quippe quod ejus observantiam Moyses, mox ab egressu ex Ægypto, antequam ad Sinai veniret, induxit (Exod. 16, 25, 29). Ab operibus sub pena mortis (Exod. 31, 15; Num. 15, 32) jussu Dei vacandum erat; adeo ut neque ignem excitandi paradisi cibus facultas daretur (Exod. 35, 3): vacandum verò erat et ipsis mancipiis, brutisque: omnes enim ejus dici curas obsequiis et laudibus suis, legisque meditationi Deus volebat impensas (Exod. 20, 6). Nec deerant, uti in reliquis festis, pecuniaria sacrificia (Num. 28, 9).

Præter solemnitates per anni cursum recurrentes, intra unius ad summum hebdomadæ fines conclusas, aliæ post certam annorum periodum, atque longiori temporis spatio continuatæ celebrabantur. Harum potissima annus erant sabbaticus, quo Hebræi cultum agrorum negligere, et quicquid sponte produxissent, advenis, pauperibus et orphanis (Exod. 23, 10, 11; Lev. 25, 1, etc.), quin et brutis ipsis permittere jussi sunt. Ad hæc, servi hebræi manumittebantur (Deut. 15, 2); aris alieni remissio (Exod. 21, 2), legisque sollemnis lectio fiebat (Deut. 30, 10, 11).

Quibus quidem jussionibus Deus, licet politiam nonnulli negligere visus sit, studiosè tamen acquandis bonis, et conditionibus apud Hebræos, ac infirmorum oppressionibus consulere; quin et labentem jam ex hominum mentibus creationis mundi memoriam eâ ratione refricare, simulque suæ in populum auctoritatis speciem exhibere voluit. Eodem consilio, singulis 50, sive potius 49, annis; jubileum (Levit. 5 et 8, etc.) instituit in quo non vacatio tantum ab agrorum cultu, manumissio servorum, arisque alieni remissio, sed possessiones neque hereditates ad veteres dominos regrediebantur. Ejus anni ingressus circa mensem septembris (quo etiam tempore claudebatur) solemnibus ceremoniis, ac tubarum clangore indicabatur. Hoc sanè monumentum Deus exstare voluit suæ in universam gentem ac regionem potestatis, quamvis, ne infirmos alioquin populi animos plus nimio tentaret, pro neglectis integri anni preventi-

bus, sexto et quadragésimo octavo quoque anno, tantundem messis se largiturum pollicetur, ut ad triennium sufficiat.

Quæ Moyses regibus, fortè ab Israelitis eligendis, præscribit (Deut. 17, 14, 20), longè alia sunt ab iis quæ Samuel *ius regis* appellat (1 Reg. 8, 11). Porrò rex, juxta Moysen, è medio populi, non ex alienigenis, ita Deo præcipiente, et populi suffragio eligendus erat. Velitum illi, ne equitum numerum augeat; neve populum illis emendis in Ægyptum regredi cogat; feminarum gregem, quippe quibus cor facile avertitur, ne innutriat; comparandis divitiis ne studeat, caveatque ne timido in fratres sit animo. Denique exemplar legis apud se non in manibus tantum, sed et in corde retineat, eamque sibi agendi normam præscribat. Samuel verò *ius regis* Israelitis explicans dixit, illum filios Israelis aurigas et præcursores suis curribus, quin et suos equites facturum. Ad hæc alios tribunitia, et centurionis dignitate donaturum, alios ad metendos serendosque suos agros, nec non ad arna currusque suos fabricandos coacturum. Fullonius verò, et culinae ministeris, conficiendisque unguentis filias Israelis addicet. Servis suis ditandis, pinguiores Israelitarum possessiones in illos transferet. Nihil erit tandem, sive ex mancipiis, sive ex junioribus, sive ex jumentis, in quos ipse manus non injiciat violentas, eo jure, quo sibi ex gregibus decimas, et populum universum in servitutem asseret.

Bellum, quod potissimum erat regis munus, non æquo jure cum singulis hostibus agendum erat; aliâ enim ratione cum Chananæis, aliâ cum cæteris curandum. Quibus bellum indicendum erat, æquis antea conditionibus pax offerebatur (Deut. 20, 11, etc.); rennentibus bellum denuntiabatur. Si oppugnanda urbs, atque longior immineret obsidio, contra quam propterea turres et aggeres, pro more illorum temporum, struendi essent, cautum erat ne ulla arborum frugifera, sive arva caderentur. Si arborum vi tandem expugnaretur, contra viros quidem victorum iram exercere fas erat; femine, pueri, bruta et utensilia in victorum potestatem, deinde toto exercitui distribuenda, venire debebant. In uribus Chanaanorum omnia, que vitam haberent, unâ clade involvabantur (Deut. 20, 16, 17).

Si collatis signis certandum fuisset, ante prælium sacerdos, Dei opem adfuturam pollicitus, milites ad certamen incitabat (Deut. 20, 16, 17), deinde duces, suæ singuli turmæ, elati

voce regressum indicabant iis, qui sive novam domum edificassent, seu vineam novam plantassent, vel tandem novam nuptam duxissent; durum enim nimis futurum videbatur, si fortassè in bello decedentes, partas suis laboribus possessiones, ne tantulo quidem obtentas, ad alienos transmittere cogerentur. Post hæc, coram universo exercitu (Deut. 20, 8) formidolosis omnibus, ut se à periculo subducerent, potestas concedebatur, ne suo exemplo in alios terrorem inducerent.

Relata ex hostibus spolia imperator inter milites æquè dividebat, nullo facto discrimine inter eos, qui decertassent, eosque qui remansissent ad sarcinas (vide Deut. 31, 27, et 1 Reg. 30, 24). Quin Moyses relatâ ex Madianitis prædâ, populum universum in agro madianitico tunc versantem, et unâ cum cæteris militibus exercitum ex totâ ratione constituentem, caruisse non tulit. Antequam spolia in castra reducerentur, præviâ purificatione expiabantur hoc ritu: metalla, et si que alia ignem paterentur, flammâ, cætera verò aquâ expiationis lustrari oportebat. Femine alterius quam Chanaanorum generis, in potestatem victorum captivæ cadebant (Deut. 21, 10, etc.); è quibus, si quam herus uxorem ducere voluisset, post abrasos ejus crines, amputatos unguis, detractas vestes, cum quibus capta fuit, concessumque integri mensis luctum, pro amissione parentum defendendâ, statim sibi copulabat. Si verò succedente tempore, eam tandem uxorem fastidisset, illam manumittere cogebatur.

Sua etiam præda portio erat Dei, et sacerdotum, ac in bello cum Madianitis ex singulis quingentis tam mancipiorum, quam pecudum, que militibus cecidissent, singula sibi reservari; ex prædâ verò, que reliquo populo contigisse, quinquagesimam pro Levitis pendi Deus injunxit. Sua etiam erat in spoliis, ac selecta portio ducis, uti de Davide (1 Reg. 30, 9), et Gedeone (Judic. 8, 24) constat; ac in bello contra Madianitas, duces Israelitarum armillas et annulos aureos ex hostibus acceptos Deo exhibuerunt, fortassè tanquam duces, et imperatores universæ expeditionis eâ oblatione illum agnoscentes (Num. 31, 49, 50).

Discipline militaris in castris Israelitarum non segre ratio habebatur, et quem in dispendiis tribubus circa tabernaculum in castrametationibus per desertum, quem etiam in projectionibus ordinem servaverint, constat

(Num. 2). Sordibus ablegandis, plura constituta erant, nempe ut femine abessent; imò, si quis imprudens inter dormiendum pollutionis aliquid contraxisset, ille extra castra usque ad vesperam se continebat; nec nisi aquâ toto corpore et vestibus lotus (Deut. 23, 10, etc.), regredi permittebatur. Singuli milites paxillum cingulo appensum deferabant, ut scrobem excavarent, cum è castris egrediebantur, ut naturæ necessitatibus succurrerent. Post prælium, totâ hebdomadâ milites, utpote contactu casorum polluti, à castris abstinebant (Num. 50, 19, etc.); ante regressum verò totum corpus et vestes aquâ eluebant, quod in bello contra Madianitas scimus, et in aliis observari consuevisse non dubitamus. Verùm, si ab universis prælium commissum fuisset, tunc contractâ ab omnibus legali impunitate, alter alterius consortium vitare non tenebatur; quare omnes simul in castris versari potuissent.

De Hebræorum politia pauca novimus. Ea que ad justitiam administrandam pertinent, ac de præcipuis illorum tribunalibus in dissertatione de bello contra Madianitas egimus. Judicandis potestas summa penes reges, et summum sacerdotem erat; hinc illud populi ad Samuellem: *Constitu nobis regem, qui judicet nos* (1 Reg. 8, 5). Summum sacerdotem in arduis quibuscumque supremum judicem Moyses constituit (Deut. 16, 10, etc.). Præterea, sui erant singuli judices urbibus, seu urbium portis, juxta phrasim S. Scripturae (Deut. 16, 18), (is enim erat judiciorum locus); eosque summâ veneratione observari Moyses jussit: *Diis cum Madianitis ex singulis maledices* (Exod. 22, 28). Porrò principes judices et magistratos eodem ac Deus nomine *Elohim* nuncupabantur (1); illi siquidem veluti Dei administri, et assessores habiti sunt.

Cantum est ne judicia vernalia fiant, parasque judices habeant à muneribus manus, quippe qui justitia muneribus facile corrumpitur (Exod. 23, 8); urbam in deterius non sequantur (Exod. 23, 2, etc.), nec vulgi sententia aequitatis dispendio accedant, ne præposita in pauperes misericordiâ, sive in divites obsequio, à justitia tramite exorbitent; ne insontem, sive advenam fraudent; neque tandem ejuscumque personam respiciant (Lev. 19, 5; vide et Deut. 16, 18); pater pro crimine

(1) Psal. 81, 1: Deus stetit in synagoga deorum, in medio autem deos (sive deorum) judicabat.

ne filii, et vicissim filius pro scelere patris non puniatur (Deut. 24, 16). In poenis exigendis summum jus evitetur; quare neque post solis occasum reorum cadavera in supplicio appensa relinquenda (Deut. 21, 22); neque fuste, sive ad virgas damnatis, ictus ultra 40 inferendi (Deut. 25, 2, 5). Si qui in crimine falsi testis deprehenduntur, ejusdem criminis rei habendi, quod fratribus imputarunt (Deut. 29, 18, 19; vide et Levit. 19, 16); vitamque pro vita, oculum pro oculo, omni quoad illos clementia aditu pracluso, pendere cogantur. Verum reis supplicio damnandis non unius tantum, sed duorum triumve testimonium postulandum (Deut. 19, 16, 17).

Judicandi filios usque ad legis promulgatæ ævum, penes solos parentes jus erat: quod quidem Moyses deinde in iudices ita transtulit, ut reos violati in parentes obsequii, sive verbo (Levit. 20, 9), sive percussione (Exod. 21, 15), sive contumaciæ et proterviæ (Deut. 21, 18, 19), solâ eorumdem parentum delatione accusatos, ultimo supplicio puniendos jusserit: quanquam nihil contra parricidas, quasi contra rem que evenire nequeat, in lege præscriptum est. Cautum est parentibus ne filios in cultum Moloch per ignem traducant (Lev. 18, 21 et 20, 1, 5; Deut. 18, 10); filios verò, ut parentibus pro omnia obsequantur (Exod. 10, 12). Necessitate ad extrema cogente, filios in servitum vendere patri permissum; qui tamen alterius filias emebant, non captivas, sed uxores sibi vel filiis suis comparare censebantur (vide Exod. 21, 7, etc.); secus illas manumittere cogebantur. Parentes sanè filias in matrimonium vendere consueverunt, unde feminam emere, et cum illâ matrimonio copulari, pro eodem usurpabatur.

Homicidii crimen capitale erat (Exod. 20, 13, et 11, 12, 15). Urbes asyli tres citra, totidem ultra Jordanem, iis qui imprudenter hominem peremissent, confugium præstabant. Qui ad asylum se recepisset, causam suam coram iudicibus loci dicebat (Num. 35, 25, 24; Deut. 19, 1, etc.); deinde propinquis occisi postulantibus, ad locum cædis, datis custodibus, remittebatur: ubi causâ discussâ, si crimen iudices deprehendissent, in potestatem partis adversæ remittebatur; si verò cædes imprudenti contigisse probaretur, iterum ad urbem asyli remittebatur, ubi se usque ad obitum summi sacerdotis ita continere debebat, ut extra urbem deprehensus, impune à propinquis occisi interfici potuisset. Porò leges

illæ non de Israelitis tantum, sed de advenis etiam late sunt. Crimen homicidii, nullâ concessâ penæ remissione, morte puniebatur, vel à propinquis occisi inferendâ, si fortè in occisore incidissent: nec pecuniâ vitam redimere, neque illam aræ religione defendere hujus criminis reus permittebatur (Exod. 21, 14).

Si duobus viris jurgantibus, alter ex illis vulnus alteri ita infixisset, ut decumbere cogerebatur, ac deinde ita à vulnere convalesceret, ut scipione fultus incedere potuisset, tunc qui injuriam intulerat, impensis in medicum, atque operis alteri persolutis, absolvetur (Exod. 21, 19, 20). Qui captivum summ occidisset, crimine homicidii reus habebatur; si verò ita vulnerasset, ut ad unum et alterum diem vitam produceret, impunis abibat herus; ipse enim mancipium possidet, ejusque dispendio perit. Si duobus rixantibus, mulier fœta casu transiens, fortè percussa, abortum patitur, tunc feminâ superstitè, reus mulctam arbitrio viri, et selectorum ad eam rem virorum, persolvat: si obierit, vita pro vitâ, oculo pro oculo, dente pro dente crimen expiabit. Herus oculum, sive dentem mancipio excutiens, illud manumittat (Deut. 35, 11). Si femina viro suo rixante occurrerit, adversarii pudenda manu contigerit, manûs abscissione mulctabitur (Exod. 21, 28, etc.).

Bos qui hominem cornibus transfoderit, lapidibus opprimetur, ejusque carnibus abstinentum (Exod. 20, 14; Lev. 20, 10; Deut. 5, 18, et 22, 21, etc.); dominus verò, cui petulans bovis ingenium innotuerat, nec illum antea inclusit, vel morte damnabitur, vel requisitam mulctam persolvat. Mancipio illata à bove mors, bovis ejusdem lapidatione, et 50 siclorum pretio hero persoluto expiatur. Si bos bovem transfodisset, occisi carnes pretiumque superstitis (qui vendendus erat) inter utriusque dominos æquè dividebatur: domino tamen, cui sui bovis petulantia innotuisset; neque periculo eundem claudens in bubili occurrisset, defunctum animal, superstes alteri cedebat. Si putei defossi os non ocluderetur, indeque bos, sive asinus in illum incidens perisset, domini ejusdem putei dispendio peribant, ad quem tamen defunctum animal pertinebat.

Adulterii crimen tam in viris, quam in feminis capitale (Levit. 18, 6, 22 et 20, 11, 17); desponsæ verò si quis vitium intulisset extra urbem procus tantummodò interibat; intra urbem uterque; femina enim vim causari non

poterat, quippe quæ clamando sese subducere valuisset.

Incestus, sodomia, et à quibus natura abhorret crimina, capitali penâ puniebantur (Exod. 22, 19; Levit. 18, 22, et 19, 29, et 20, 11; Deut. 25, 18). In prostituentes pudicitiam, tam viros, quam feminas, gravissimâ penâ animadvertēbatur (Exod. 22, 16); atque infame lucrum ad templum inferre nefas (Deut. 22, 11, 18). Si quis femine vitium intulisset, illam ducere cogebatur; dissentiente tamen puella patre, dos vitiatæ tantum persolvenda. Imò et ad mulctam 50 siclorum patri puella persolvendam, et ad nuptias proeus adigebatur, si re ad judicium delatâ, vis ab illo aliqua illata fuisse probaretur (Deut. 22, 28, cum Exod. 22, 16); hoc verò conjugium per repudium solvere poterat, quædam tamen persolvenda (Deut. 24, 6, 10); à molis tamen, quibus triticum teritur, à vestibus viduæ accipiendis abstinere; vestem autem, sive culcitram acceptam, saltē ante vesperam restituat ut frater nocte dormiens fovetur (Exod. 12, 20). Mercenariis diurnis ante noctem pretium persolvendum (Deut. 24, 14, 15; Lev. 19, 15). Divites mutuum dare pauperibus recusantes, quod ex illis nihil sperent lucelli, damnantur (Deut. 15, 4, 8); mutuum enim opem sibi Israelite prestare debent, ut nemo indigere cogatur. Alieni agri termini ne transferantur (Deut. 19, 14). In colligendis messibus et uvivis, non ita seduli sint messores, ut racemos et spicas pro indigentibus, qui ponè illos consequuntur, nullas relinquunt; et si fortè manipulus in agro per oblivionem relictus fuerit, deinde non requiratur. In conviviis religiosus pauperum, viduarum, orphanorum, advenarum, ac Levitarum ratio, potissimum habenda: Advenam non contristabis, ait Moyses (Exod. 22, 21, et 25, 9; Lev. 19, 33, 34; Deut. 10, 18); advenæ enim et ipsi fuitis in terrâ Ægypti... scitis enim advenarum animas. Neque in fratres tantum et amicos, sed in adversarios quoque benevolæ esse animo Deus jubet, omnem ultionis exigendæ curam sibi reservans (Lev. 19, 18); Deut. 32, 35). Illic si adversarii jumentum sub sarcinis fatiscat, manus illi relevando apponenda; si pecus illius errabundum offendantur, ad causas reducendum. (Exod. 25, 4, 5; Levit. 19, 17; Deut. 21, 1, etc.) Quæ tamen de Chananeis dicta non intelliguntur, ab Israelitis ultionis divine ministris: igne et aquâ interdicendis (Exod. 22, 52, 53 et 34, 12; Num. 50, 51, 52; Deut. 7, 2, 16). Racemos sive spicas fortè occurrentes colligere ad resendum fas est; ad sportandum nefas (Deut. 25, 24, 25).

Legis quidem præcepta homini in officio continendo, quoad ea quæ extrinsecus patent, lata sunt; non ita tamen, ut cordis desideria negligat; alterius namque bona, et feminas concupiscere inhibuit. Post repudium (quod quidem toleratur) si femina alteri nupterit, iterum cum illâ conjugium noctere prior vir prohibetur (Deut. 21, 1). Turpia illa à quibus natura maximè abhorret, his fortasse verbis per ænigma prohibentur (Deut. 22, 5, 9, 10, 11; Lev. 19, 19, 20): *Non indueris vestimento, quod ex lanâ linoque contextum est; non seres vineam tuam altero semine: non arabis in bove simul et asino; non induetur vir veste virili, ac vicissim.*

De furto nihil non vitium (Exod. 20, 15), licet non isdem omnia præmissa prohibita. Liberum hominem in mancipium furto vendere, capitale erat (Exod. 21, 16, et Deut. 24, 8); bos sublatu, quintuplo; ovis quadruplo restituenda (Exod. 22, 4, etc.); furto tamen existente, duplo tantum. Fur noctivagus, suffodiens parietes deprehensus, impune occiditur; diurnum verò interficere capitale est. Si fur bona non habet, vendatur (Exod. 22, 4, 5). Qui alieno agro, sive vineæ damnum intulerit, sive suâ culpâ messes, sive manipulos alterius igne corripuit, de suo agro et vineâ resarciet. Depositum custodis fraude sublatum, si fraus in judicio probetur, duplo restituendum; si dolus abierit, custos absolvitur. Si enim pecus alterius creditum est, ejusque incuriâ, seu dolo perierit, sive furto sublatum sit, ipsius dispendio peribit; ab hostibus sublatum, sive

si fortè occubuisse, re in judicio sacramento probatâ, custos absolvitur; si tandem à bestis voratum fuisset, discerpitæ pecendis reliquias ad dominium delatis, insons idem custos judicatur. Alia verè est ratio de commodatario et conducto; conductor enim et commodatarius absolvitur, si coram domino animal perierit; secus ad restitutionem adigitur.

Fœnus à suis exigere Israelitis nefas, cum externis toleratur (Exod. 22, 25; Levit. 25, 57; Deut. 24, 17, 20). Pignus si creditor à debitore exegerit, extra fores domûs illius accipiatur, quidquid ab altero producet (Deut. 24, 6, 10); à molis tamen, quibus triticum teritur, à vestibus viduæ accipiendis abstinere; vestem autem, sive culcitram acceptam, saltē ante vesperam restituat ut frater nocte dormiens fovetur (Exod. 12, 20). Mercenariis diurnis ante noctem pretium persolvendum (Deut. 24, 14, 15; Lev. 19, 15). Divites mutuum dare pauperibus recusantes, quod ex illis nihil sperent lucelli, damnantur (Deut. 15, 4, 8); mutuum enim opem sibi Israelite prestare debent, ut nemo indigere cogatur. Alieni agri termini ne transferantur (Deut. 19, 14). In colligendis messibus et uvivis, non ita seduli sint messores, ut racemos et spicas pro indigentibus, qui ponè illos consequuntur, nullas relinquunt; et si fortè manipulus in agro per oblivionem relictus fuerit, deinde non requiratur. In conviviis religiosus pauperum, viduarum, orphanorum, advenarum, ac Levitarum ratio, potissimum habenda: Advenam non contristabis, ait Moyses (Exod. 22, 21, et 25, 9; Lev. 19, 33, 34; Deut. 10, 18); advenæ enim et ipsi fuitis in terrâ Ægypti... scitis enim advenarum animas. Neque in fratres tantum et amicos, sed in adversarios quoque benevolæ esse animo Deus jubet, omnem ultionis exigendæ curam sibi reservans (Lev. 19, 18); Deut. 32, 35). Illic si adversarii jumentum sub sarcinis fatiscat, manus illi relevando apponenda; si pecus illius errabundum offendantur, ad causas reducendum. (Exod. 25, 4, 5; Levit. 19, 17; Deut. 21, 1, etc.) Quæ tamen de Chananeis dicta non intelliguntur, ab Israelitis ultionis divine ministris: igne et aquâ interdicendis (Exod. 22, 52, 53 et 34, 12; Num. 50, 51, 52; Deut. 7, 2, 16). Racemos sive spicas fortè occurrentes colligere ad resendum fas est; ad sportandum nefas (Deut. 25, 24, 25).

Penes Israelitas mancipiorum duplex erat genus; ex Hebræis nempe et advenis. Hebræi

anno sabbatico manumittebantur: ceteris aeterna servitus. (Vide Exod. 22, 1, 6; Levit. 25, 39, etc.) Hebraei verò qui servitutem libertati prætulissent, lege privilegio coram magistratibus renuntiabant; domum deinde ab hero reducti, cum ad fores pervenissent, subulâ auribus perforabantur. Unâ cum conjuge et filiis manumittendus, si captivitatem unâ cum illis subivit; si verò in captivitate conjugem ab hero accepit, solus ipse manumittitur. Si vir Israelita, egestate cogente, libertatem suam externo vendiderit, à propinquis redimendus; si verò illi tenues substantiae sunt, quisque Israelita redimere possit; vel ipse tandem servus pretium pro se restituat. A quocumque tamen solvatur, integra pecunia hero restituenda, deductis tamen annis in servitute exactis, et supputato temporis spatio usque ad annum jubilei; Israelitis enim simul, et extraneis vetitum, ultra jubileum captivos, necnon alienas hereditates diutius retinere. Si mancipium ab hero duro habitum, in ditio-nem Israeliticam confugerit, quaecumque tandem urbem elegerit, tutò ibidem agere permittatur (Deut. 25, 15, 16). Filium si quis à patre emerit, vel ipse, vel filius ipsius, in conjugem inferioris ordinis illam habebit; secus, eandem anno sabbatico libertati restituens, 50 siclis, juxta Rabbinorum doctrinam, donabit. Hanc verò filiam semel emptam aliis vendere nefas, neque eidem filiae ultra annum sabbaticum servitutem suam producere permissum est. Si emptor servam filio suo nuptam tradidisset, integrum illi erat eidem filio novam conjugem adjungere, rato semper, ac firmo prioris femine jure. Uxori semel empta: vir domum, vestitum, et si quae alia conjugem decent, praestabit; in quibus si plus nimio parcior fuerit, feminae servitutem solvere, ne expectatio quidem anno sabbatico, licet.

Hominibus in homines bene afficiendis, humanitatis sensus ipsa vel in bruta per legem insinuatur. Hinc die sabbati quies non hominibus tantum, sed et jumentis indicta (Exod. 25, 12). Pasca toto anno sabbatico omnibus pervia (Levit. 25, 7), ipsis, ut videtur, etiam belluis agresibus. Plura etiam in lege praescripta sunt de non coquendo hœdo in lacte matris suae (Exod. 25, 20 et 34, 26; Deut. 14, 21), de non capiendis in nido pullis, sive ovis unâ cum matre (Deut. 22, 6), de non mutilandis brutis (Levit. 21, 24), de non alligando ore bovis triturantis (Deut. 25, 14), de non jungendis simul jumentis diversi generis (Lev. 19, 19;

Deut. 22, 10). Eosdem humanitatis sensus inducent leges, quibus de surdo oblocutio interdicitur, sive ne coram caeco offendiculum ponatur (Lev. 19, 14).

Non omnibus indiscriminata animantibus Israelitis vesci, quin et omnibus aequè avibus et piscibus concessum; erant quae impura, erant etiam quae pura apud illos habebantur. Ex quadrupedibus, quae tantum saltem blido ungue non essent, nec ruminarent, impura (Levit. 11, 2, etc., et 20, 25; Deut. 14, 4). Ex piscibus, qui pinnulis et squamis careant, abjiciendi; ex avibus quoque, et reptilibus plura hujus generis suppetunt. Porrò animantia illa, dum vivebant, contingere nullâ lege interdictum erat; mortua verò si quis attigisset, inquinabatur, nec nisi ad vesperam, lotis prius corpore et vestibus, contracta macula eluebatur. Nervo femoris cujuscumque animantis etiam puri vesci minimè permissum, quod Jacobi femur angelus contigerit (Gen. 32, 32), uti et à morticinis, sive à belluâ carnivorâ discretis abstinendum (Exod. 22, 32; Lev. 17, 15). Sanguis et adeps eodem jure vetiti censebantur (Gen. 17, 11, etc.).

Masculorum circumcisio die octavâ à nati-vitate, Abrahamo olim praecipita ad omnes Israelitas capitali penâ prorogata est (Lev. 17, 10; Gen. 17, 10, 12, 23, 24; Lev. 6, 25). Legales sordes, quae ab usu rerum sacrarum arcebant, sive quae ab hominum commercio homines interdicebant, non unius erant rationis. Cadaver contigisse, sive in eadem cum illo domo egisse, funeri interfuisse, virum per hebdomadam inquinabant, qui dein aquâ expiationis sub capitali penâ lustrandus erat. (Num. 5, 9 et 19, 11, etc.). Lepra, gonorrhœa, menstrua, non morbum tantum, sed et legalem sordem inducebant, quamdiu agrotus non convalesceret (Lev. 15, 45, 46, et 15, 2, 19); post morbum verò sacrificium pro expiandis iis criminibus quae imprudenti eo temporis spatio contigissent, indictum erat. Si quis inquinatum, sive ab illo contactum attigisset, diurnam maculam contraheret (ibid. vid. 4, 20). Puerpera, quae masculum edidisset, 40 diebus; quae verò feminam, quinquagenis impura habebatur (Lev. 12, 4, etc.): quo temporis spatio neque res sacras contingere, neque ante templi atrium se sistere permittebatur. Eo verò elapso, agno, sive torture, sive pullo columbarum, quod (pauperularum sacrificium erat) in sacrificium oblato expiabat.

Exteri quibus circumcisionis nulla erat ra-

tio, ab Israelitis impuri habitus sunt, adeò ut rem inquinatam innuere volentes, *incircumciziam* dicerent. Chananei et Amalecite anathemati devoti (Exod. 17, 14; Deut. 25, 17;) eunuchi, nothi, atque prostitute filii ab Ecclesiâ Dei usque ad decimam generationem (Deut. 25, 1, 2), nempe à consortio privilegio-rum Israelis, exclusi sunt. Idem de Ammonitis et Moabitibus in lege cautum est (Deut. 23, 1, 6); cum quibus etiam populis fœdes, et amicitiam inire vetitum. Idumæi et Ægyptii, illi quod Esau Jacobi germanum patrem habuissent, hi quod Israelitas tamdiu jure hospitii apud se habuissent, post tertiam generationem recipiebantur.

Dolo et fraude in commerciis removendis, plura sancta sunt. Vendendo emendoque, exigendo, atque solvendo exacta mensura adhibeatur (Levit. 19, 15; Deuter. 25, 15, 14). Senioribus obsequium prestandum, neque coram illis assidendum (Levit. 19, 30). Ansele ad quatuor angulos pallii ab Israelitis assuendæ, uti et vestium extremitatibus fimbriæ, quo eorum aspectu legis memoria reficeretur (Num. 15, 38; Deut. 22, 12). Deficientibus tantummodo masculis, feminae in jus hereditatis vocantur (Num. 27, 3, 6, et 26, 3, etc.): quibus autem feminis hereditas obvenit, virum ex alienâ tribu ducere prohibetur, ne tribuum possessiones turbentur (Num. 27, 8, etc.). Defuncto sine liberis fratri fratres succedunt, eorumque defectu patri; sin minis, sanguine propinquiores.

Decedente sine liberis fratre, frater superstes relicta ex illo vidua ducebatur, ut extincti memoriam in prole conservaret (Deuter. 25, 5, etc.): qui si conjugium renuisset, ad portas urbis à feminâ adductus, calceo exuebatur, atque in ore expuebatur, his verbis adjunctis: *Sic fiet homini, qui non edificat domum fratris sui*. Sinistrâ de fide conjugis opinione à viro conceptâ, ad eam rem destinato judicio liliam sublebat (Num. 6, 14); Deo Hebræorum proterviæ aliquid indulgentie, quò majora mala vitarentur. Eadem etiam indulgentiâ permissum est, ut conjux uxorem absque indicis virginitatis deprehensam (Deuter. 22, 14, 15) judicio sisteret: si tamen accusatio falsa probaretur, virgas, sive fustes accusator subibat, pretio insuper 100 siclorum persoluto. Viro duplici conjugio copulato, jus primogenituræ filio natu majori acquisitum, in alterum ex prædilecto conjugis natum transferre, sive invise conjugis

natum eodem primogeniti jure privare interdicitum (Deut. 22, 15, 16).

Tota Chanaanitidis regio pro numero tribuum, singulorumque contributionum aquis portionibus dividenda erat (Num. 35, 13, et 34, 13). Adiam culmina muri lorica ambienda, quò in tectis ad modum solaris complanatis, inambulanti-bus periculum vitaretur (Deuter. 22, 8).

Vota non unius erant generis apud Hebræos; sive enim se vel alios devovebant (Levit. 27, 2), etc. Quo voto adstricti, pecuniâ redimebantur, varia illa quidem, pro sexus ætatisque discrimine. Viris enim ab anno ætatis 20 usque ad 60, mulcta 50 siclorum, feminis 50 indicta. A quinto usque ad 20, viri 20 siclos, feminae 10 pendebant. Pauperiores pro facultatum modulo, ad sacerdotis arbitrium. Animal sacrificio aptum, voto consecratum, immolandum omninò, neque à volente redimi poterat: impurum verò si offerens redimere velit, pecuniam quæ sacerdoti videbatur, et quintam insuper partem adjiciat. Ædes prius æstimanda, deinde sacerdotis lucro dividenda: quas si Dominus sibi habere velit supra pecuniam æstimatam, quintam adjiciet. Ager voto consecratus, à sacerdote de more æstimandus, supputatis redditibus, et spatio temporis usque ad jubileum; liberum deinde est offerenti illud sibi emere, si pretio quintam addiderit: si verò alieno vendatur, neque in jubileo ad veterem possessorem regressitur; cum enim sanctus sit ager, et sacerdotibus acquisitus, sacerdoti in jubileo restituendus. Primogenita ad Dominum spectant, quorum proinde per votum consecratio supervacanea esset.

Ea quæ anathemati devovebantur, nullâ concessâ redimendi potestate, animalia quidem neci tradenda fuerant; res verò et possessiones sacerdotibus acquirebantur (Levit. 27, 28). Decimæ ex frugibus et pecoribus, soluto pretio et quintâ insuper parte, redimi poterant. Vota statim et plenâ fide implenda sunt (Num. 30, 5). Filia sub patris disciplina, si vota se obstrinxit, et pater sciens siluit, voti rea est; renente patre, voti religione nequaquam tenetur. Conjugio copulata votum, viro intra diem dissentiente, solvitur; si altera die vir propositum suum significaverit, votum nihil secus firum ratumque est. Repudiata et vidua, voti, si quo se obstrinxerit, rea est.

Nazareti genus sunt virorum Deo devotum, abstinentiam à vino mero liquoribusque profectis, quibus intonsa est coma, totaque nazareatâ tempore ad funera non accedunt. (Num. 6, 1, etc.) Elapso voti tempore, ante fores tem-

pli à sacerdote sistebantur, statimque agnus in holocaustum, ovis pro peccato, aries in hostiam pacificam offerebatur. Victimis immolatis, Nazarei coma abradebatur, igne altaris absumenda : dein traditum sibi à sacerdote arinum, arietis atque panis et lagenæ oblationem Nazareus iterum sacerdoti restituebat, coram Domino elevandam. His peractis, vini usus Nazareo permittebatur. Si voti tempore fortè coram eo vir aliquis occubisset, iterum caeremonia nazareatus ab exordio repetende erant, atque insuper duo columbæ in expiationem offerebantur.

Cùm tota ante Chanaanitis idololatriæ superstitione teneretur, quo tempore ab Hebræis occupata est, omnia fecte religionis monumenta, quæ unquam occurrerent, subverti, lucos, aras, petras, columnas, doctum simulacra Deus justitiam (Lev. 16, 4; Deut. 15, 4). Sibi verò primùm

aram ex glebis ad radices Sinai excitari (Exod. 20, 24, 25) voluit; deinde alteram ex ligno excavatam, æreisque laminis superindutam, et in tabernaculo collocandam, quæ craterem æneam ad medium clavi suspensam sustinendo igni continebat (Exod. 27, 8). Porro ad illam per gradus ascendere vetitum, ne fortè inter ascendendum ea detegerentur in sacerdotibus, quæ intentionem pudorem offenderent (Exod. 20, 26). Judeis terre promissionis limites ingressis, jussit Deus alias ex tribus montem Garizim conscendere, ibique legem Dei servantibus benedictiones precari, alias verò montem Hehal tenentes, diramprecari in legis prævaricatoribus (Deuter. 11, 29, et 27, 15, 27, 25). Ara deinde ingens erigenda calce obliata, in qua Lex Dei inscriberetur. Porro hoc præceptum à Josue impletum est (Josue 8, 50, 51).

DE POLITIA, SIVE RATIONE JURIS DICENDI

APUD VETERES HEBRÆOS, ET POTISSIMUM DE SANHEDRIO,

Dissertatio.

Reipublice Hebræorum constituta crepundia ex latà à Deo in monte Sinai lege, susceptoque à Moysè populi regimine, ac tandem inceptà ad normam divinarum legum politiam, repetenda sunt. Frustra enim in populo, dum in Ægypto versabatur, certam politiam, certosque judices Israelitas pleno jure regentes exquiramus; quos enim operibus fratrum præpositos (Exod. 5, 6), sive quos seniores appellatos (Exod. 3, 16) in Scripturà novimus, iis spontè quidem populum paruisse, nullam tamen eos cogendi habuisse auctoritatem, planum est. Moyses omnium primus plenum in populum suum jus supremamque auctoritatem obtinuit. Solus omnia reipublice onera sustinuit, donec monente Jethro sacro suo, in partem laboris selectos ex fratribus accepit. Consultissimus enim ille senex animadvertens unicum virum juris dicendi inter populum majus ferre pondus quam sustineri posset, selectos sibi viros ut adsiceret Moysi auctor fuit (Num. 11, 16). Ejus igitur consilia secutus Moyses (Exod. 18, 25, 26), *electis viris strenuis de cuncto Israel, constituit eos principes populis, tribunos, et centuriones et quinquagenarios et decanos, qui judicabant plebem omni tempore.*

Quidquid autem gravius erat, referebant ad eum, faciliora tantummodò judicantes.

Hæc politia parùm mansit: ab adventu scilicet Jethro in castra Israelitarum, paulò ante quam Israelite à Cadesbarne moverent, usque ad castra metationem ad sepulchra Concupiscentiæ, quò tridui itinere è monte Sinai populus venit. Ibi enim Deus senatum septuaginta viro- rum selegit, quos divini Spiritus illapsu instructos Moysi assignavit adjuutores. Ibi Sanhedrii defensores prima constituti illius celebratissimi senatus, de quo nos infra fusiùs, fundamenta collocant. En igitur senatus 70 senioribus constitutus, cui Moyses præesset, omnesque simul pro eo, quem à Deo habuerant, prophetiæ spiritalia jura populo dabant. Mansit tamen simul constituta auctore Jethro antea politia; quibus iudicibus collatam credimus auctoritatem dirigendi res civiles, ad politiam et militiam pertinentes; quemadmodum et judicia omnia ad senatum septuaginta deferabantur; exceptis tamen causis gravius, de quibus Moyses ipse cognoscebat. Malunt tamen rabbiini, nec injurià fortassè, hoc septuaginta seniores ex ipso iudicium sub Jethro constituto numero fuisse.

ita constituta res toto itinere per desertum spatio scilicet 59 annis circiter obtinuerunt. Nec sanè aptior alia politia invehi potuisset, imò vix aliter deducendus videbatur populus, qui in unum veluti cœtum coalescens, ambulantis civitatis speciem referebat. Cætus facilis erant et communes, litium pars maxima, quòd agrorum et latifundiorum divisio nulla esset, succibus; quare parvus iudicum numerus totam rempublicam facillè administrabat.

Verùm cautè repitans legislator futurum ut in terrà promissionis ea politia ratio haberetur incommoda, jussit constitui in singulis urbibus iudices et magistratus (1) pro causis civium cognoscendis, ita tamen, ut si quid gravius emerisset, illud ad locum à Domino selectum deferretur, sacerdoti de familia Aaron, penes quem tunc temporis suprema esset auctoritas, iudicandum; hujus autem iudicio non acquiescere capitale decrevit (2). Alibi etiam cavet, si homicidium aliquod, cujus auctor lateat, commissum deprehendatur, acciri statim sacerdotes, ad quos attinet (Deut. 21, 5) *omne negotium et quicquid mundum vel immundum est* (Heb., omnis causa, et omnis plaga); ab illis verò, adhibitis etiam senioribus vicinioris urbis, crimen expiandum, tum et ira Dei à populo advertenda. Eadem sacerdotum judicialis auctoritas asseritur etiam, Deut. 19, 16: *Si steterit testis in iudicio contra hominem, accusans eum prævaricationis, stabant ambo, quorum causa est, ante Dominum in conspectu sacerdotum et iudicum qui fuerint in diebus illis; cumque diligentissimè perscrutantes invenerint falsum testem dixisse contra fratrem suum mendacium, reddent ei, sicut fratri suo facere cogitavit.* Paraphrastes Onkelos, cujus interpretationes maximi sunt inter rabbiinos ponderis, verba illa Deut. 33, 9, 10: *Qui dixit patri suo et matri suæ: Nescio vos, explicat de sacerdotibus, qui in causis iudicandis rectam iudicii lancem tenent, ut solam respiciant veritatem et aequitatem, nihilque in carnem et sanguinem inclinent; quæ interpretatio ex subsequenti ver-*

(1) Deut. 16, 18: Iudices et magistratos constitues in omnibus portis tuis.
(2) Deut. 17, 8, 9: Si difficile et ambiguum apud te iudicium esse perspexeris... et iudicium intra portas tuas videris verba variari, surge, et ascende ad locum quem elegerit Dominus Deus tuus, veniesque ad sacerdotes Levitici generis, et ad iudicem qui fuerit eo tempore, quæresque ab eis, qui indicabunt tibi iudicii veritatem... Qui autem superbiert, nolens obedire sacerdoti imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, et decreto iudicis, morietur homo ille.

siculo confirmatur, cum de filiis Levi sermo est, qui servaverunt, ait Moyses, *iudicia tua, è Jacob, et legem tuam, è Israel.* In eandem idem loquitur Ezechiel 44, 24: *Cum fuerit controversia, stabunt in iudiciis meis, et iudicabunt. Leges meas et præcepta mea in omnibus solemnitatibus meis custodiant.* Samaritani in suà ad Scaligerum Epistolà testantur summam apud se auctoritatem esse penes summum sacerdotem, ad cujus iudicium undique ex urbibus convenirent. Ita porro ille populum iudicat, ut vel in ipsas cogitationes ferat sententiam; omnia ad ejus nutum terminantur; felicem profectò qui sacerdotis illius dicto audiens est; infelicem, qui jubentem contemnit. Iis igitur rerum iudicarum status fuit, cum pax et religio in tranquillo manserant.

Nec sanè aliter legislatoris mentem Josephus interpretatus est tradens constitutos ab illo in singulis urbibus septem iudices, qui adhibitis duobus Levitis jus civibus dicerent. Majoris tamen indaginis causa, ait, ad urbem à Domino selectam, summo sacerdoti, prophetae et senatui cognoscende deferabantur. (Antiq. l. 10, c. ult. cont.) Ipsi pariter regi inconsultis summo sacerdote et senatu nihil agere fas erat. Atque in opere contra Appionem, de politia Hebræorum agens (cont. Appion. l. 2, c. 61), nullam consilii unquam posse aut politiam neque aequiorem neque sanctiorem, quam que Deum auctorem habet supremum rerum arbitrum. Deus autem iste magnus omnium simul sacerdotibus rerum sacrarum majoris momenti administrationem reliquit, auctoritatem in reliquis res omnes penes summum sacerdotem esse disposuit. Horum igitur cure datur, addit Josephus, ut legis sanctiones et discipline ratio salve perseverent et integra: de controversiis ita iudicant, ut et animadvertendi in sententias habeant. Quod igitur sanctius quam Hebræorum politia? Itaque ex Josephi sententià (idem eod. lib.), Judæorum reipublica neque ad monarchiam neque ad democratiam referrebat, sed genus quoddam politie constituiebat quod Deum habens supremum arbitrum, theoretica jure rectèque appellaretur. Nec sanè sacerdotes alique primores iudices aliter de causis cognoscebant, quam delegatà sibi à Deo auctoritate; ejusque veluti tribunalis assidentes, coram arca et in loco à Deo selecto iudicia ferabant. In causis discutiendis legum oracula consulebantur; nec raro judices divinitus inspirati sententias, tanquam è tripode, proferebant; quin et in causis gravius summus sacerdos non prius iudicabat, quam urim et thummim